
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE

DE NATURA ATQUE USU IMPERATIVI

APUD

TERENTIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

JUSTUS STAHL

FROHNHUSENUS.

MARBURGI CATTORUM

MDCCCLXXXVI.

LEOPOLDO SCHMIDT

HASCE PRIMITIAS LITTERARUM

GRATO ANIMO DEDICAVIT

AUCTOR.

In re grammatica tractanda cum in Imperativo versarer, mirabar in eis libris, qui plerumque in hac re usui esse solent, et quorum auctoritas maxima est — dico Kühneri „Ausf. Gram. d. lat. Sprache," Draegeri „Histor. Synt. d. l. Spr.," Neui „Formenlehre d. l. Spr.," Holtzii „Synt. prisc. script. lat. usque ad Ter." — de natura ac varius significationibus eius constituendis et explicandis brevissime et parum diligenter disputatum esse, nullamque adhuc separatim exstare commentationem, qua satis accurate haec res tractetur. Atque cum ita tantum eam rem recte agi existimem, si singulorum scriptorum usus accurate inquiratur et observetur, tum, quae eo effecta sunt, coniungantur, ego, quod in Terentii fabulas tractandas praecipuam operam contuli, has mihi sumpsi, in quibus usum Imperativi diligenter inquirerem; id autem egi, ut primariam aliquam naturam eius statuerem, unde omnes significationes facile deducuntur, deinde, ut de differentiis, quae inter Imperativi et Coniunctivi usum intercedunt, certum efficere conarer. Simul autem Plautini usus rationem habui et exempla, quae apud eum de hac re exstant, diligenter cum Terentianis comparavi. Eo quae effeci, hisce litteris mandavi.

De Imperativo si agitur, duae formae distinguendae sunt, altera brevior, quae est ama, amate, altera plenior, quae est amato, amatote. De utriusque significatione ac nomine ab veterum grammaticorum temporibus usque ad nostram aetatem a viris doctis diversae sententiae dictae sunt. Atque ut ex veteribus unum afferam, Priscianus VIII, 8 (p. 389 ap. Krehl) haec dicit: „Imperativus praesens et

futurum naturali quadam necessitate videtur posse accipere. Ea etenim imperamus, quae statim in praesente volumus fieri sine aliqua dilatione etc. Quae verba aperte corrupta Krarupius in commentatione sua „de natura et usu Imperativi ap. Latinos" p. 17 ita emendavit, ut post „fieri" insereret „vel in futuro," quod apud Putschium p. 806 invenitur, et pro „sine" scriberet „sive." Quam emendationem etiamsi probamus, tamen ita tantum hic locus intellegendus est, in Imperativo, id est in utraque forma eius ita praesens ut futurum tempus inesse posse, non autem, quod ille efficere vult, altera forma praesens, altera futurum contineri.

Inter recentiores Holtzius l. l. II. p. 134 J. N. Schmidtio assentiens eam vim plenioris formae esse contendit, ut hac postuletur, ut iterum atque saepius id fiat, quod imperetur, breviore autem, ut semel fiat. Hanc explicationem in leges tantum et praecepta quadrare, praeterea autem plane falsam esse, ubi quis exempla ad eam rem in libris exstantia inspexerit, facile intellegetur. Atque ut de ingenti multitudine pauca afferam, in Plaut. mil. glor. 480 haec sunt: Erus si veniet, si me quaeret, hic ero hinc me arcessito; ib. 524 sq.: post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito transcurrito ad vos. Cic. pro Sulla. XI. § 33: Adestote omnes animis, qui adestis, corporibus, quorum ego frequentia magnopere laetor.

Alii neque ei pauci breviorem formam „Imperativum praesentis" alteram „Imperativum futuri" appellaverunt et hoc inter eas discrimen statuerunt, ut illa ad ea, quae extemplo, haec ad ea, quae remotiore tempore perficienda essent, pertineret. Quorum in numero imprimis sunt: Krarupius (vide supra) Zumptius in gram. lat. § 583, alii multi. Postremo Lochius in disputationis suae quae inscribitur „Zum Gebrauch des Imperativus bei Plautus" Progr. Memel 1871, particula prima egit de „Imperativo futuri," et multis exemplis ex Plauti fabulis sumptis hunc usum fulcire studet. Cuius operam cum vir doctissimus,

Draegerus, l. l. § 153 magnopere laudet, operae pretium mihi videtur de ratione eius pluribus dicere. Primum igitur ei rei praecipuam gravitatem tribuit, quod pleniori Imperativo plerumque descriptio temporalis vel condicionalis in futuro tempore verbi addatur. Atque quamquam concedendum est in omnibus exemplis, quae ibi attulit, ea quae imperantur, futuro tempore perficienda esse, tamen aliquot exstant loci, ubi, cum in secundario enuntiato futurum tempus verbi positum sit, tamen Imperativus non futuri, quem illi appellant, adhibetur, verum praesentis. Exempla sunt haec: Asin. 231: Si alius ad me prius attulerit, tu vale. Bacch. 800: impinge pugnam, si muttiverit. Cas. II, 1, 3: vir si quid volet, me facite hinc accersatis. Cist II, 3, 48: vir tuus si veniet iube domi opperirier. Epid. 423: at quaeso, ubi erit otium, revortere ad me extemplo. Pers. 46 quidquid erit, recipe te ad me; ib. 47: si quid erit, fac sciam; ib. 146: hoc si facturus's, face. Poen. 511: Quin si ituri hodie estis, ite, aut ite hinc in malum crucem. Ter. And. 848: ubi voles, arcesse; ib. 712: huc fac ad me ut venias, si quid poteris. Heaut. 618: illa si iam laverit, mihi nuntia. Confer. Lic. ad. Fam. XVI. 7: Cura igitur te et confirma, et cum commode — poteris, veni. Liv. IV, 5, 6: Si haec impediet aliquis, ferte sermonibus et multiplicate fama bella; ib. LXXVII, 17: quocunque voles, desine. LXXX, 9: si perpendere te voles, sepone pecuniam. VI. 12, 10: ubi haerere iam acies videris, tum terrorem equestrem alio pavore infer invectusque ordines pugnantium dissipa. Quod autem talia exempla Lochius ita explicat: In diesen Fällen muss derselbe (sc. Imp. praes.) durch die Lebhaftigkeit des Redenden, der etwas als sogleich eintretend auffasst, was eigentlich erst in der Zukunft stattfindet, erklärt werden — ego quidem hoc dico minorem in eis exemplis inesse vehementiam, quam in multis ubi plenior forma Imperativi posita, est ut in Pl. Rud. 815: si ipsi abire hinc volet, — extemplo

amplectitote; ib. 818: ubi ille servos advenerit — itote extemplo domum.

Altera autem ex parte aliquot in Plauto inveniuntur loci, ubi Imperativus in to vel tote exiens nequaquam propriam vim futuri habet, sed aut ad nullum certum tempus aut ad praesens referendus est. Congesti sunt ei apud Lochium p. 11, et liceat quaedam proferre. Praeter multos locos, ubi „salveto,“ non „salve,“ „facito“ non „fac“ exstat, huc pertinent: Amph. 520: muttito modo. Cas. V, 1, 15: spectato hinc omnia. Pers. 500: Atclare recitato. Ad interpretanda ea exempla nihil ille addit, sed haec modo dicit: „Es bleibt noch immer eine ziemliche Anzahl von Beispielen übrig, wo der Imp. Fut. in seiner ursprünglichen Natur als Tempus der Zukunft nicht mehr deutlich erkennbar ist, und wo wir ihn daher einfach gleich dem Praesens setzen, teilweise auch durch prosodische Gründe erklären müssen.“ Ut autem in tota illa dissertatione explicatio singulorum locorum desideratur, ita etiam horum exemplorum naturam accuratius inquirere, quod certe operae pretium fuit, plane neglexit. Quod autem in his potissimum interpretandis metrica ratione uti vult, hoc nihil efficitur; nam si ita agere velimus, plerosque tales Imperativos facillime explicare possimus. Atque quamquam negari non potest illam aliquotiens in usurpando hoc Imperativo plurimum valuisse, tamen id in cetera exempla eodem iure cadit, atque in haec ipsa.

Postremo etiam concessiva vis huius formae ex illa explicatione duci non potest. Nam etsi exempla inveniuntur, ubi in futurum tempus aliquid conceditur, tamen totidem exstant, in quibus concessio ad praesens pertinet. Inspicias Aul. 54: „Absede etiam nunc, etiam nunc — Etiamne? — ohe istic adstato.“ Rud. 1148 sq. „Gripe accede huc, tua res agitur; tu puella procul dicito“; pleraque denique exempla, quae Lochius p. 12 attulit.

Quod autem Lochius p. 8 haec dicit: „Die Fälle, wo der Imp. Fut. durch einen koordinirten Futursatz erklärt

wird, sind sehr zahlreich" et aliquotlocos profert, ut As. 240: modo tecum una argentum adferto, facile patiar cetera vel ib. 660 Ego baiulabo, tu ut decet dominum, ante me ito inanis; Men. 549: dicito, curabitur. Bacch. 1152: tu tuum facito, ego, quod dixi efficiam" — nescio, quid inde ad significationem huius Imperativi efficiatur. Nam talia enuntiata etiam alteri formae addi posse et cum ipsa Imperativorum natura non cohaerere, sed pro se intellegenda esse primo aspectu apparet. Eodem iure dici potest exempli gratia: tu tuum fac, ego quod dici, efficiam. Conferas Rud. 1351: tu hic opperire, iam ego faxo exibit senex. Ter. And. 538: fuge modo intro, ego videro. Most. 1173: Tu quiesce hanc rem modo petere, ego illum, ut sit quietus, verberibus subegero. Cic. orat. 70: immuta paulum, perierit tota res.

His rationibus adductus illam designationem „Imperativus praesentis" et „Imperativus futuri" refutandam esse persuasum habeo.

Atque mihi quidem, cum iterum atque iterum hanc rem animo volverem et exempla imprimis apud Terentium exstantia ita compararem, ut diligenter quaererem, a quo ad quem, qua rerum condicione, quo affectu animi verba facta essent, res ita se habere videbatur: Breviore Imperativo simpliciter voluntas significatur, ut aliquid fiat, pleniore autem forma ea voluntas cum gravitate enuntiatur, cum, qui dicit aut verba sua animo alterius quam maxime imprimi velit, aut motu animi affectus loquatur. Atque quod Reisigius in eo libro, qui inscribitur „Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft" ed. Haase § 333 haec dicit: „Die eine, die kürzere Form ist die des gesellschaftlichen Tones; aber die andere, amato, ist die imperatorische zu nennen, indem diese Form in dem militärischen Leben, in dem Wesen der Subordination entstanden zu sein scheint" — haec non satis recte disputata sunt. Nam etsi saepe pleniore forma aliquid strenue et imperatoria quadam vi iubetur, tamen haec una modo

pars neque primaria natura est. Si enim esset, intellegi non posset, qui fieret ut saepissime vis adhortandi insit, ut aliquotiens etiam rogationis similis usurpetur. Minime autem Cicero apud populum, cuius maiestatem semper verebatur, vel apud iudices hoc Imperativo usus esset, quod cum fecisse multis exemplis demonstratur; vide pro Sulla XI, 33: adestote omnes animis, qui adestis corporibus; Verr. Act. I, 40, 13 quapropter ita me de praeturae criminibus auditote, ut. Act. IV, 58, 131: ut saepius ad M. Marcellum revertar, sic habetote plures esse.

Igitur cum gravitas huius formae propria sit, ea aptissima est, quae in legibus scribendis usurpetur, quippe quae severe et grandi oratione, ut ita dicam, ad homines loquantur et auctoritatem sibi vindicent. (Moneo hoc loco, me non demonstrare, ut nunc nobis ex exemplis, quae exstant, iudicantibus res esse videatur, sed ut tum, cum usus linguae epaulatim constitutus est, ex primaria natura singulae significationes effluxerint; quod hic respiciendum est, ne forte quis me falsa ratiocinatione uti putet.) Praeterea autem in praeceptis et ad vitam bene instituendam et ad alias res tractandas datis atque in edictis publicis, quae omnia cum gravitate pronuntiantur, hic Imperativus suum locum habet. Deinde ex hac eius natura optime intellegitur, qui fiat, ut saepissime de eis rebus adhibeatur, quae remotiore tempore efficiendae sunt. Is enim, qui tale aliquid imperat, graviore forma utitur, ut ea quae iubet, in animo eius cui dicit, haereant neve ille, cum imperata aliquo demum tempore peracto efficienda sint, ea obliviscatur. In ipsa autem forma haec significatio non inest, sed per se ea ad nullum certum tempus pertinet et eis demum, quae adduntur, sive enuntiatis temporalibus vel condicionalibus sive adverbiis futurum continentibus ad futurum tempus refertur. Ubi autem aliquid non cum gravitate imperatur, etiamsi executio rei in futurum tempus cadit, breviorem formam usui esse videmus, quod exemplis illis supra allatis apparet. Huc

etiam pertinent ei loci, quos Krarupius l. l. p. 21 protulit et quos, quoniam a norma ab ipso constituta abhorrent, emendandos esse haud recte censuit, exempl. grat. Liv. III, 2: Crastino die oriente sole redite in aciem; erit copia pugnandi, ne timete.

Porro ex ea significatione declarantur illa exempla, quae Lochius p. 11 enumeravit, (vide supra) in quibus hic Imperativus usurpatur, ubi quis praesenti tempore aliquid facere gravi et sublimiore sono iubet. Ita etiam „salveto" non „salve" dicitur, ubi quis cum gravitate sive vera sive simulata loquitur, quo posteriore casu ironice dici apparet. Pertinent huc ei loci, quales sunt: Pl. Rud. 416: Salve adulescens: — et tu multum salveto, adulescentula. Poen. 1076: Mi patrue salve — et tu salveto, Agorastocles;" ubi qui dicit „salveto" maiore laetitia alterius videndi motus est, quam qui dicit „salve"; vel ironice: Curc. 234: „O scelerum caput salveto." Pers. 789: „O bone vir salveto et tu bona liberta." Tum hac eius Imperativi natura hoc quoque fit, ut saepe non tam imperatum quam adhortationem vel precationem significet. Is enim, qui tali modo admonet vel rogat, cum gravitate loquitur sive magnifice dicit, quo magis oratione sua proficiat sive magna difficultate obrutus cum sollicitudine ab altero aliquid petit. Quo in numero sunt exempla illa de Cicerouis scriptis sumpta, quae supra attuli, quibus addendus est locus, quo pulcherrime hic usus illustratur, Cic. pr. Balb. 28, 64: „Videte, ne utilius vobis et honestius sit illis ducibus errare, quam hoc magistro erudiri. Sed si de certo vobis iure esse constituendum videtis, nolite committere, ut in re tam inveterata quidquam novi sentiatis. Simul et illa omnia ante oculos vestros proponite: .... Tum etiam illud iudicatote sic vivere ac vixisse Cornelium, ut .... vocetur .... Postremo illud fixum in animis vestris tenetote vos in hac causa non de maleficio L. Cornelii, sed de beneficio Cn. Pompei indicaturos." Hoc enim loco

primum, quoad orator sine motu animi loquitur, breviore Imperativo utitur, paulatim autem effervescens et ardore quodam raptus ea, quae maioris momenti sunt, pleniore forma iudices admonet.

Denique etiam concessiva vis hunius formae ex nostra interpretatione declaratur. De ea re Kruegerus, gram. lat. § 464, 2 haec dicit: Dieser Imp. wird auch gebraucht, wenn der, welcher etwas hindern und verbieten könnte, etwas freistellt oder eine Erlaubnis erteilt. Er ist durch „können" oder „mögen" zu übersetzen.

Verum in ea forma per se concessio non inest, sed iussum est, cum gravitate enuntiatum, quae inde existit, quod is qui loquitur aut conscius sibi est in sua potestate esse alterum ea iubere, quae illum facere vult, aut cum motu animi dicit. Quomodo autem talis Imperativus significationem habere potest concessivam? Quod qui fiat, recte intellegemus, si ea exempla inspexerismus, inter quae est Ter. Eun. 596; „ubi nos laverimus, si voles, l a v a t o," quo loco proprie eunucho imperatur: „lavato," id autem iussum, cum additur „si voles," ita modo exsequi iubetur, si ipsi placeat; ergo executio ipsius voluntati conceditur. Plerumque autem is qui loquitur ipse conicit ex alterius voluntate esse aut ei gratum fore, si certum aliquid facere iubeatur, atque cum complura ei imperare possit, illud ipsum facere eum iubet. Ita Men. 1029: „Mea quidem causa liber e s t o atque i t o quo voles," qui ea iubet, certe scit alteri gratum fore ire, quo velit et liberum esse, et cum hoc ipsum facere eum iubet, quodam modo ei aliquid concedit. Rud. 1148: „Gripe accede, tua res agitur, tu puella istinc procul d i c i t o," nostra lingua: darfst von dort sprechen. Res ita fingi potest, quasi puella alterum tacens oraverit, ut sibi procul dicere liceat, et ille hoc ei concedat dicens: dicito. Aul. 55: „Abscede etiam nunc, etiam nunc — etiamne? — ohe, istic a s t a t o" is qui abscedere iubetur, postquam aliquotiens abscessit, cum interrogat: etiamne? (noch weiter?) quodammodo petit, ut nunc satis

sit, quod alter, cum iubet; „istic adstato," ei concedit. Si ita non cogitetur Imperativus non habeat concessivam vim sed strenuum iussum contineat. Denique in omnia exempla, quae ad eam rem exstant, hanc rationem interpretandi optime quadrare intelleges. Item in graeca lingua Imperativus concessivam vim habet, confer Plat. Symp. p. 201, c: *οὕτως ἐχέτω, ὡς σὺ λέγεις*, exempla vide apud Kuehnerum „Ausführliche Grammatik der griech. Sprache" II § 397, 2, et apud Kruegerum „Griech. Sprachlehre" I § 54, 4 a2.

His rationibus adductus ego, si de nomine utriusque formae agitur, breviorem „Iussivum" pleniorem „Imperativum" appellare optimum duco. Eodem enim modo, quo in hoc maior vis et gravitas inest, quam in illo, imperare plus valet, quam iubere, quod ex Ter. Eun. II, 3, 97 apparet: iubeam? cogo atque impero. Eadem nomina dedit Kuehnerus in gram. lat. II p. 149 sq. Quamquam ego cum ratione interpretandi, quam ille secutus est, haud consentio. Nam imprimis quod sub b) dicit: „Die letztere Form (ito), welche weit seltener gebraucht wird, bezeichnet den Befehl als ein Gebot, als etwas, was geschehen soll. Er wird daher namentlich in Vorschriften, Gesetzen, Verträgen, Lebensregeln gebraucht und involvirt somit die Rücksicht auf das Fortbestehen der Handlung in der Zukunft," haec ad unam tantum partem eius rei neque ad universum usum pertinent. Quid quod ipse ille postea pergit: Aber auch Bitten und Ermahnungen können auf nachdrückliche Weise durch diese Form ausgedrückt werden. Est igitur gravitus, hoc „nachdrücklich" quod ille dicit, eius formae propria eaque gravitas et ad iussa et ad praecepta et ad admonitiones et ad rogationes pertinet.

His rebus statutis, quod ad meam rem tractandam summi momenti esse putabam, iam ad Terentium accedamus et qui sit apud eum usus Imperativi videamus.

Atque dicam

A. de positivis enuntiatis

1) de Iussivo;
2) de Imperativo et usu eius
    a. in iussis et admonitionibus ad praesens tempus pertinentibus,
    b. in iussis et admonitionibus ad futurum pertinentibus,
    c. in praeceptis et legibus,
    d. in enuntiatis concessivis,
    e. in eis enuntiatis, ubi cum Iussivo coniunctus est;
3) de additamentis et ad Iussivum et ad Imperativum appositis, quae sunt: age, amabo, obsecro, quaeso, oro, sis, sodes, modo, dum, quin;
4) de structuris fac et facito cum Coninuctivo;
5) de Coninuctivo iussivo vel adhortativo;
6) de enuntiatis interrogativis Iussivi et Imperativi loco positis;
7) de Indicativo Futuri pro Imperativo adhibito;

B. de negativis enuntiatis.

1) ne cum Iussivo;
2) ne cum Coniunctivo;
3) de circumlocutione negativi Imperativi per noli, cave vide ne.

C. De ellipsi Iussivi et Imperativi.

I. De Iussivo.

Hoc ubi Terentius utitur, simpliciter voluntas significatur, ut aliquid fiat. Atque ut sollemnem usum praetermittam, tum usurpari solet, cum aliquid cum festinatione quadam imperatur, quam ad rem brevis et abrupta quasi forma aptissima est, quae ipsa ad accelerandam rem monere videtur. Ita ad servos dictum est his locis:

And. 28: *auferte*, *abite*. ib. 171: *i prae*. ib. 455: *tace*. Hec. 729: eho puer *curre* ad Bacchidem. Phorm. 195: *sta* illico. Ad. 167: *abi* prae strenue ac fores *aperi*. Porro huc pertinent: Eun. 472 *accede* huc. ib. 489: *tace* tu, quem ego infra esse infumos omnis puto. Phorm. 559: *aufer* te hinc. ib. 255: hoc *responde* mihi.

Saepe autem vis Iussivi ita minuta est, ut usus eius rogationi haud dissimilis sit; talis autem rogatio sine ulla sollicitudine pronuntiatur, in Imperativo vero maiorem vim inesse videbimus. Ita in prologis fabularum Terentius ea forma utitur, cum spectatores gratiae conciliandae causa adloquitur: And. 24: *favete*, *adeste* aequo animo et rem cognoscite. Heant. 51: Exemplum *statuite* in me. Eun. 44: *date* operam, cum silentio animum *attendite*. Imprimis „*sine*" vel „*sinite*" ita adhibetur: And. 163: sine nunc meo me vivere interea modo; ib. 622: Sed sine paululum ad me redeam; ib. 900 Pa.: Sine me expurgem atque illum haec coram adducam. Si: Adducas? Pa.: Sine pater. Hec. 52: sinite impetrare me.

Porro Terentium complures Iussivos asynthetice coniunxisse, saepe etiam cumulasse videmus. Quae cumulatio ubi usui est, magna cum festinatione ex condicione, qua verba fiunt, orta aliquid iubetur. Dico ea exempla, qualia: And. 334: „*facite fingite invenite efficite* qui detur tibi" quae verba dicit Pamphilus summo pavore affectus, ne odiosum matrimonium sibi ineundum esset, et omnibus viribus id effugere contendens. Heaut 349: *redi redi*. And. 978: tu Dave *abi* domum *propera*, *accerse* hinc qui auferant. Eun. 377: „*orna* me, *abduc*, *duc* quantum potest" Chaerea cupiditate puellam amatam adeundi inflammatus dicit. Ad. 812: „eandem illam rationem antiquam *obtine*, *conserva*, *quaere*, *parce*, *fac* quam plurimum illis relinquas; gloriam tu illam obtine" qua cumulatione sedulitas Demeae semper elaborantis neque unquam quiescentis quasi depingitur. Inter-

dum Iussivus „abi“ ad alterum ita apponitur, ut ipse fere supervacaneus sit, et eam modo vim habeat, ut ad rem accelerandam moneat, sicut nostra lingua dicitur: geh' thu das. Atque apud Terentium tum praecipue ita usurpatur, cum servis aliquid mandatur: Eun. 538: abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem; ib. 763: tu abi atque obsera ostium intus. Ad. 917: tu illas abi et traduce. Hec. 726: Immo vero abi, aliquam puero nutricem para. And. 255: abi cito ac suspende te. Phorm. 445: abi vise redieritne iam an nondum domum; ib. 722: abi, dic esse argentum; ib. 994: abi, tange. Hec. 804: abi ecfer argentum.

II. De Imperativo.

De natura ac significatione eius supra dixi, et apud Terentium eundem esse usum facile intellegetur: omnibus locis, ubi is usurpatur, cum gravitate dictum esse apparebit. Atque primum iussum aliquod aut adhortatio hoc modo graviter enuntiatur, quo profundius animo alterius imprimatur, cum iam ipsa forma plenius sonans eum movere videatur. Adhibetur autem ut de futuro tempore ita de praesenti. Atque ut primum de his posterioribus exemplis dicam, in Eun. 712 Phaedria narratione eunuchi, qui fratrem eius suo loco ad Thaidem deductum puellam vitiasse dixit, summa difficultate affectus, ut ex his angustiis se evolveret, severo sono clamat „heus tu negato rursus.“ Phorm. 229: „Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero subcenturiatus, si quid deficias“. Hic graviore Imperativo Geta servus usus est spiritu quodam elatus, cum in potestate sua esse sciret erili filio imperare, quippe qui antea ad eum dixisset: quin tu, quid faciam, impera. Ad. 505: Demea Hegionem abiturum imperatorio fere modo iubet „redito,“ quasi ipsa forma auctoritatis plena eum revocare velit. Eun. 106 Parmeno ad Thaidem

minans fere dicit „Proin tu, tacere si vis vera dicito." Heaut. 783 Chremes Syri postulatione, ut in fraude conficienda se adiuvet, indignabundus respondet: „Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas." Ad 940 Micio, cum Aeschines se promisisse narraverit illum anum quandam uxorem esse ducturum, sollicitus graviter ei edicit: „De te largitor puer." Porro verba ad animi actionem pertinentia plerumque in Imperativo ponuntur, quo adhortatio vehementior fiat: Heaut. 577: „Quod illum facere credito." Phorm. 874: „Aliquid credito, Phormio, esse causae," qui Imperativi ita vertendi sunt: glaube du ja. Phorm. 424 Demipho Phormionis verbis: „postremo tecum nil rei nobis est: tuos est damnatus gnatus non tu sq.," ira incensus cum gravitate et spiritu dicit: „Omnia haec illum putato, quae ego nunc dico, dicere." Eun. 759 Thais Chremem, qui Thrasonem militem pertimuerat, iubet: „Immo hoc cogitato: quicum tibi res, peregrinus est," quae gravior forma et vituperationem timoris illius et confirmationem animi continet. Eun. 877: „unum hoc scito." Hec. 67: „nam nemo . . . ., scito, ad te venit." Ex Plauti fabulis huc pertinent: Aul. 127: „Verum hoc, frater, unum tamen cogitato." Poen. 257: „Verum hoc unum tamen cogitato." Truc. 867: „sed tamen cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia." Capt. 432, 711. Mil. glor. 915, 1364. In his exemplis gravior forma ipsa alterum, ut credat vel putet, quodammodo cogere velle videtur. Phorm. 166: „tu conicito cetera," quae verba cum magna sollicitudine enuntiantur, quod etiam antecedentibus comprobatur: Iam depecisci morte cupio. Pertinent huc etiam Ad. 533: „quin tu quietus esto" et Phorm. 713: „quietus esto"; cum his locis si Hec. 822 et Phorm. 965, ubi legitur „bono animo es" comparamus, hoc inter eos interesse videmus, quod his familiariter et comiter dicitur, illis graviter et severe, quasi ipsa verba animum alterius erigere velint.

„Salveto", quod apud Plautum saepe invenitur, (confer

Loch. p. 11.) apud Terentium non exstat. Deinde hic memorandus est Phorm. 984: „Lege a g i t o ergo", de quo Donatus haec narrat: „Lege agito" dicebatur ei, cuius intentio contemptibilis adversario videbatur." Est igitur ironice dictum et cum ficta gravitate pronuntiatur. R o g a t i o n i autem similis Imperativus usurpatur uno loco; talis rogatio vehemens est et cum sollicitudine dicta, cum qui rogat, in magnis angustiis versetur. Dico Eun. 902: „Quin Pythias tu me s e r v a t o." Ita dicit Chaerea adulescens, qui puellam, quae in domo Thaidis erat, misere amabat, et cui Thais domum intrandi copiam dedit. Tum autem Pythias, cum Chaerea puellam illam antea vitiasset, omni modo dominam orat, ne eum inmittat, et cum ita perseveret, ille pavens, ne Thais obsequatur, verbis modo allatis Pythiam obsecrat, ut obversari desistens se servet.

Venimus ad eum usum Imperativi, ubi de f u t u r o tempore in iussis vel adhortationibus usurpatur. Atque si exempla ad eam rem exstantia inspicimus, in his quoque cum gravitate dici videmus; quae gravitas aliquotiens inde existit, quod aliquis cum magno motu animi loquitur. Huc ex Terentio pertinet: Heaut. 590: „At tu pol tibi istas posthac c o m p r i m i t o manus", quae Syrus indignabundus et minans fere ad Clitiphonis verba: „di te eradicent, qui me hinc extrudis" respondet.

Plerumque autem de futuro tempore Imperativi gravitas usurpatur, quo vehementius iussum aut exhortatio fiat et in mente alterius tam diu haereat, dum id temporis momentum, quo res efficienda est, venerit. Eius modi sunt: Heaut. 827: „o b s e c u n d a t o in loco, quod imperabit f a c i t o, l o q u i t o r paucula." Eun. 214: „munus nostrum o r n a t o verbis, quod poteris, et istum aemulum, quod poteris, ab ea p e l l i t o;" ib. 503: „si id non poterit, ad me a d d u c i t o;" ib. 768: „si vim faciet, in ius d u c i t o hominem." Hecyr. 76: „Senex si quaeret me, modo isse d i c i t o;" ib. 769: „Sed cum tu satura atque ebria eris,

ut puer satur sit, facito." Ad. 817: „quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne." Ex Planti fabulis huc pertinent ea exempla, quae Lochius l. l. p. 3—5 attulit.

Huic usui ad futurum tempus pertinenti propinquus est usus Imperativi, ubi praeceptum aliquod editur; ibi quoque haec forma usurpatur, ut praeceptum in mente eius, cui praecipitur, imprimatur, et ipsa plenior forma cum gravitate enuntiata eum moveat et ad exsequendum adducat. Atque primum de eis locis agam, ubi generali ratione ad totam vitam praeceptum pertinet. Sunt haec: Heaut. 221: „Periclum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet." Ad 417: „Hoc facito — hoc fugito"; ib. 426: „Iterum sic memento." Apud Plautum haec exempla exstant: Curc. 28: „Ita tuum conferto amare semper, si sapis, ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro. Semper curato, ne sis intestabilis." Pseud. 312: Semper tu ad me cum argentata accedito quaerimonia." Trin. 295: „Meo modo moribus vivito antiquis: quae ego tibi praecipio, ea facito"; ib. 320: „Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant"; ib. 485: „Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites." Epid. 595: „ubi voles pater esse, ibi esto, ubi noles, ne fueris pater:" Cas. II, 2, 35: „Insipiens, semper tu hoc verbo vitato abs tu viro." — Porro autem Imperativus usui est, cum de certa re, de qua ipso eo tempore agitur, alicui praecipitur, quid faciat, ut ea componatur. Exempla sunt haec: Heaut. 702: „Aperte ita, ut res sese habet, narrato." Hoc Cliniae adulescenti, quid de amica ad patrem dicat, quaerenti Syrus praecipit. Eun. 445: Gnatho Thrasoni, qui interrogavit: sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi —? respondet: „Denique par pro pari referto, quod eam mordeat." Heaut 943: Chremes Menedemum orantem, ut de filio continendo sibi suadeat, haec facere iubet: „Id mirari te simulato et illum hoc rogitato simul, quam ob rem id faciam." Ad 574 sqq. Syrus Demeam inter-

rogantem, ubi frater esset, docet, qua via pergens illum inventurus sit, hisce verbis: „Praeterito hac recta platea sursus; ubi eo veneris, clivos deorsum versus est: hac praecipitato — hac pergito — ubi ad Dianae veneris, ito ad dextram.“ Confer Plauti Merc. 140: „at edepol tu calidam picem bibito: aegritudo abscesserit.“ Mil. 1176 sq.: „Quom extemplo erit hoc factum — ibi tu ilico facito, uti venias — adsimulato quasi gubernator sies“; ib. 1184 sq.: „ubi ero exornatus, quin tu dicis, quid facturus sum? — Huc venito et matris verbis accersito.“ Most. 1149: quid ego nunc faciam si . . . ? Dicito iis, quo pacto tuus te servos ludificaverit.“ Poen. 729: „Si pultem, non recludet? Panem frangito.“

Sequitur, ut de eo usu Imperativi agam, ubi concessiva vis in eo inest. De hac natura eius supra me affatim diseruisse puto, et quae ibi disputavi, in Terentiana quoque exempla quadrare facile intellegetur. Praeter illum Eunuchi versum 596 supra tractatum huc pertinent: Eun. 1057: „hoc si effeceris quodvis donum praemium a me optato“, quo proprie Thraso Gnathonem praemium optare iubet, haec autem cum res sit illi gratissima, concessionem quandam ei facit. Ad. 977: „Postremo a me argentum quanti'st sumito“ (darfst nehmen); ib. 174: „Verum in istam potius peccato tamen,“ quo Aeschinus servo permittit, ut Sannioni lenoni pugnos inferat — rem illi maxime exoptatam. Huc accedunt duo loci, ubi cum ardore et emphasi dicitur, ita ut imitatio quaedam legis formularum inesse videatur; sunt: And. 863: „Si quicquam invenies me mentitum, occidito;“ Phorm. 143: ubi ego hinc abiero, vel occidito.“ Ad tertiam personam attinet Phorm. 668: „Sexcentas proinde scribito iam mihi dicas,“ ubi simul cum magnifica gravitate quia cum indignatione dicitur. Eius modi est Phorm. 1027: „Age nunc Phormionem qui volet lacesito.“ Heaut. 571: esto! Ex Plautinis locis praeter eos, quos supra memoravi, Men. 1029, Rud. 1148, Aul. 55 huc pertinent:

Men. 727: Mea quidem causa vidua vivito. Most. 1164: Immo me praesente amato, bibito, facito, quod lubet. Capt. 947: libellam pro eo argenti ne duis, gratiis a me, ut sit liber ducito. Asin. 101: Tibi optionem sumito Leonidam. Capt. 11: accedito. Pseud. 1074: atque etiam habeto mulierem dono tibi. Trin. 570: quod tibi lubet, tute agito cum gnato meo. Bacch. 555: si non fecero, — me dicito ignavissimum. Mil. glor. 565: si post hunc diem muttivero — dato excruciandum me; ib. 927: ni ludificato ero hominem, culpam omnem in med imponito. Pseud. 510: Exlidito mi hercle oculum, si dedero; ib. 513: at si non abstuleris? — virgis caedito. Men. 152: oculum ecfodito, si ullum verbum faxo. Ouae autem praeter haec exempla Lochius p. 12 attulit, in eis omnibus Imperativus minime concessivam vim habet, verum iussum vel praeceptum continet. Sunt ea exempla, qualia Asin. 90: me defraudato, Pers. 159: *Πόθεν* ornamenta? Abs chorago sumito. Merc. 490: tanti, quanti poscit, vin' tanti illam emi? — Auctorarium adicito, vel mille nummum plusquam poscet. Capt. 721: ergo ab eo petito gratiam istam, — in quibus alteri praecipitur, quid ad eam rem, de qua agitur, conficiendam faciat. Quod autem ille Amph. 917: „vel hunc rogato," et Pseud. 122: „de istac re in oculum utrumvis conquiescito" his exemplis attribuit, primo aspectu apparet eas concessionem non continere, sed, etiamsi in nostram linguam vertuntur; kannst fragen, vel: kannst ruhig sein, tamen eis alter graviter monetur, ut roget vel conquiescat.

Restat ut eum usum Imperativi tractemus, ubi cum Iussivo coniunctus est. Quae exempla si diligentius inquirimus, Imperativo maiore cum gravitate dici intellegimus eiusque rei hanc esse causam, quod quae eo imperantur, aut remotiore tempore exsequenda aut maioris momenti et ob eam rem magis notanda sunt. Atque ut primum de illis dicam, in Heaut. 972 haec sunt: „Prius

quaeso disce, quid sit vivere, ubi scies si displicebit vita, tum istoc utitor"; ib. 1067: „Prius audite paucis, quod quom dixero, si placuerit, facitote." Phorm. 718 sq.: „Duc me ad eum ergo — ubi hoc egeris, transito ad uxorem meam." Hecyr, 442: „quid si non veniet? maneamne usque ad vesperum? maneto, curre," ubi maneto" ad remotius tempus pertinet et cum tranquilla gravitate dicitur, „curre" autem extemplo efficiendum est et cum festinatione pronuntiatur. Cum hoc „maneto" si vocem „mane" conferimus, quae tum adhibetur, cum quis abeuntem retinere vult, in illo gravitatem et auctoritatem, in hac festinationem inesse videmus.

Multo autem saepius in tali couiunctione Imperativo ea iubentur, quae maioris momenti sunt et quae fieri magis interest. Exempla haec sunt: And. 865: „Cura adservandum vinctum atque audin'? quadrupedem constringito," ubi qui loquitur non solum vult servum omnino usitato modo vinciri, verum id potissimum ei curae est eum quadrupedem constringi, quod etiam voce „atque audin?" addita indicat, qua praecipuam attentionem animi alterius ad ea convertit, quae tum iubet, Eun. 595: „Cape hoc flabellum, ventulum sic facito," ubi „cape hoc flabellum" supervacaneum fere est, nam res ita cogitanda est, ancillam, dum haec dicit, flabellum illi porrigere, ut iam ipse intellegat id esse capiendum. Ad. 351: tu quantum potest abi atque Hegioni cognato eius rem enarrato"; hic „abi" abundanter fere positum est, nam, ut enarrare absenti possit, per se apparet illi abeundum esse. Atque quod Lochius, ut ex futuri significatione Imperativi hunc locum interpretetur, p. 7 haec dicit: Häufig werden Befehle und Aufträge an abgehende Boten oder an die im Hause zurückbleibenden Personen im Imp. Fut. gegeben, aber nicht etwa um den Befehl dadurch eindringlicher zu machen, sondern weil seine Ausführung erst nach Ablauf einer gewissen Zeit möglich ist. Daher müssen wir uns solche Stellen, wie Ad 351 ...

durch zu ergänzende Nebensätze erklären, also: abi atque, ubi Hegionem conveneris, rem enarrato etc. — inde nihil ad eius sententiam fulciendam efficitur. Nam saepissime in eis enuntiatis, ubi altero quoque loco Iussivus usui est, eodem iure tale supplementum addi potest. In Hec. 369 quidem: „Tu puer curre, Parmeno, obviam atque eis onera adiuta" bene additur: curre obviam atque si conveneris eos, onera adiuta. Eun. 753: „abi tu cistellam Pythias, domo ecfer" facile suppletur: abi tu, cistellam cum inveneris, domo ecfer. Hec, 314: „abi, Parmeno, intro ac me venisse nuntia" ita suppleri potest: abi intro ac si illas conveneris, nuntia. Hoc autem inter haec exempla et illud And. 351 interest, quod in hoc posteriore cum maiore gravitate dicitur et verbis ipsis indicatur alteram rem loquenti magis cordi esse, cum id in illis non indicetur. Ad. 376: „Piscis ceteros purga, Dromo, gongrum istum maximum in aqua sinito ludere tantisper." Hic „ceteros purga" minoris momenti est, nam cum ad cenam destinati sint, sua sponte intellegitur, eos esse purgandos, sed hoc praecipue Syro cordi est gongrum nondum purgari, sed in aqua ludere sini. Heaut. 866 sqq.: „Dic convenisse, egisse te de nuptiis — postremo etiam, si voles, desponsam quoque esse dicito," ubi Imperativo res maioris gravitatis et quae ad ea, quae aguntur, efficienda maiorem vim habet, designatur. Eun. 852 sq: „Unam hanc noxiam amitte, si aliam admisero unquam, occidito"; hic occidito cum emphasi dicitur et ea nuntiatio iuriiurando similis est. Heaut. 1033: „crede et nostrum te esse credito," hoc posteriore id significatur, quod alterum credere praecipuae loquenti curae est. Ceterum in omnibus his exemplis gradationem, quae nominatur, inesse facile intellegitur; quod autem in tali copulatione verborum semper priore loco Iussivus, altero Imperativus legitur, manifeste docet, in hoc posteriore maiorem vim et gravitatem inesse. Quae exempla ex Plauti fabulis huc pertinent, ea congessit Lochius

p. 7. 8; sunt imprimis ei multi loci, ubi primo loco i vel abi ita usitatum est, ut eo tantum iussum Imperativo enuntiatum introducatur. Confer Amph, 353: „At nunc abi sane, advenisse familiaris dicito“ Asin, 382: „I puer, pulta atque atriensem Sauream, sist intus, evocato huc cetera.

III. De additamentis et ad Iussivum et ad Imperativum appositis.

1) age. Haec vox usurpatur, ut attentio alterius ad id intendatur, quod aliquis iubere vult simulque ad efficiendam rem incitetur, ut nos dicimus: wohlan. Similiter in graeca lingua ἄγε, (δὴ) φέρε (δὴ) ἴθι ad Imperativum apponuntur; exempla vide apud Kühnerum l. l. II § 397, 1. Exstat his locis: And. 692: „age, si hic non insanit, sua sponte, instiga;“ ib. 975: „age me in tuis secundis respice.“ Heaut. 332: „age, age cedo (confer Hand. Tursel. II p. 10 sq.) istuc tuum consilium“ ib. 688: Sed nunc, Clinia, age da mihi vicissim.“ Eun. 282: „age modo i.“ ib. 694: „age dum, hoc mi expedi.“ Phorm. 784: „Age dum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis“ Ad. 937: „age da veniam filio.“

Ad Imperativum „age“ uno loco additum est; Phorm. 1027: „age, nunc Phormionem qui volet lacessito.“

2) amabo. Huius significatio ita interpretanda est, ut enuntiatum sic suppleatur: amabo, si ea facies, quae te volo. Ea igitur voce rogatio vehemens exprimitur, quamquam cum tempore vis eius minuta est, ut similis sit nostro „doch“, cum dicimus: thue das doch. Memorabile est huius rei exempla ex omnibus fabulis Terentianis modo in Eunucho quinque exstare, ubi cum Iussivo coniunctum est. Plerumque autem Iussivo postponitur, ut in vers. 130: „Hoc agite amabo.“ 534: „Fac amabo.“

663: „vise amabo, num sit“ (sieh doch einmal zu) 838: „vide amabo, si non, quom aspicias, os impudens videtur.“ Uno loco interponitur 150: Id amabo adiuta me!! — Saepius apud Plautum invenitur, vide Loch. l. l. p. 13. Confer Cic. ad Quint. fratr. II, 10, 4: amabo te advola. ad Att. II, 2, 1: cura amabo te Ciceronem nostrum.

3) obsecro. Hoc vim Iussivi vel Imperativi ita temperat, ut rogatio vehementissima insit. Ac tum plerumque id adhiberi videmus, cum quis in angustiis est et cum sollicitudine alterum orat, ut aliquid faciat, ut in nostra lingua eadem ratione dicitur: ich bitte dich, thue das. Itaque tum quoque usurpatur, cum quis a deis aliquid precatur, ut in And. 232: „di date facultatem obsecro huic pariundi“; ib. 473 et Adel. 487: „Juno Lucina, fer opem, serva me obsecro.“ Eun. 1049: „o Iupiter, serva obsecro haec bona nobis.“ Alia exempla exstant haec: And. 861: „audi obsecro“ Davus dicit, cum dominus lorarium, ut ille vapulet, vocitat. Antea tantum dixit: „audi,“ ubi autem iterum ille vocat, crescente pavore addit: obsecro; ib. 955: „iube solvi obsecro.“ Eun. 362: „obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar.“ Chaerea puellam misere amans et, quem admodum adeundae eius copia fiat, ignarus Parmenomen obsecrat. Heaut. 339: „huiusmodi obsecro aliquid reperi“; ib. 403: „duc me ad eum obsecro“; ib. 685: „tace obsecro“; ib. 834: „Era mea tace tace obsecro, salvae sumus“; ib. 899: Au, tace obsecro. Phorm. 473, 485, 553, 803. Hec. 318, 556, 800. Ad. 155, 550. „Te“ additum est tribus locis: And. 351: „obsecro te quam primum hoc me libera metu.“ Heaut. 302: perge obsecro te et cave . . “ Ad. 325: „eloquere obsecro te, quid fiat.“ Ad Imperativum uno loco appositum invenitur in Ad. 281: „obsecro te hercle, hominem istum impurissimum quam primum absolvitote.“ Hoc loco gravitas rogationis, quae iam inest in absolvitote, etiam augetur cum additur: obsecro.

4) quaeso et oro. „Quaeso“ cum ad Iussivum vel Imperativum adicitur, humane et familiariter hortatio aliqua enuntiatur; nos eadem ratione, dicimus: bitte. Qui ita loquitur, quasi modestia sua benevolentiam alterius sibi conciliare vult, quo magis ad ea facienda inclinet, quae ipse eum monet. And. 8: „Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum attendite“ et Heaut. 8: „quaeso hanc noscite“ poeta ad spectatores dicit, ut eos propitios sibi reddat. And. 323: „huic dic quaeso Byrria.“ Heaut. 164: „quaeso tandem aliquantulum tibi parce,“ quibus verbis Chremes Menedemum perpetuo labore se conficientem benigne ad quiescendum movere studet. Phorm. 670: „quaeso, ego dabo, quiesce,“ Heaut. 971: „prius quaeso disce, quid sit vivere.“ Phorm. 141: „nunc amitte quaeso hunc.“ Phorm. 350: „adeste qaeso.“ Hec. 803: „dic dum mihi quaeso“ Parmeno ab alieno quodam petit, quem „quaeso“ modeste addens propitium reddere studet, ut sibi respondeat. Eun. 562: „narra istuc quaeso, quid sit.“ Adelph. 190: „illuc quaeso redi, quo coepisti.“ Cum Imperativo coniunctum est in Ad. 808: „quaeso hoc facito tecum cogites,“ ubi voce „quaeso“ vis Imperativi facito temperatur, ut adhortatio quamquam vehemens tamen etiam benigna sit; oro, in quo eadem vis est, atque in quaeso, semel in Torentii fabulis Iussivo adiectum legitur: Eun. 912: „move te oro ocius, mea nutrix.“

5) sis. De hoc Donatus ad Eun. IV, 7, 29 ita: Quia Imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres sis, quod significat: si vis. Klotzius ad And. 85 haec dicit: Es war Grundsatz der Römer, wie eines jeden gebildeten Volkes des Altertums, sowohl im öffentlichen wie im Privatleben, bei Erteilung eines Auftrags oder bei irgend einer Aufforderung, irgend etwas zu thun oder zu lassen, das Verhältnis, in welchem die eine Person oder Partei der anderen gegenüber als überlegen oder tonangebend erscheint, durch einen Zusatz, welcher der anderen Person

oder Partei einen freieren Spielraum zu gestatten schien, zu mildern. Haec etsi ab utroque non satis recte disputata sunt, nam neque in Imperativo aliquid contumeliosi inest, quippe cum saepe rogationem contineat, et si Klotzii ratio probetur, ad omnes Iussivos et Imperativos talem vocem accedere necesse sit, — tamen hoc in eis verum est, vim Iussivi atque Imperativi illa voce modeste temperari, et recte eam Lochius p. 15 Höflichkeitsformel nominat. Exempla sunt haec: Iussivo „vide“ tribus locis adiectum est: Heaut. 212: „tu ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius“; ib. 369: Sed heus tu, vide sis, ne quod imprudens ruas“; ib. 374: „vide sis“ (sc: ut laudabilis sis.) Porro in Eun. 311 haec sunt: „fac sis nunc promissa appareant“; ib. 756 Chremes Thaidis interrogatione; num formidulosus obsecro es? indignatus clamat: „apage sis,“ non ita tamen, ut eam vere abire velit, sed vituperat illam de tali interrogatione, ut nos dicimus: geh' mir doch, cum animo supplemus: so etwas zu fragen. Durum igitur, quod in apage inest, voce sis lenitur. Eadem ratione in Phorm. 59 Davus Getae verbis: „modo ut tacere possis“ offensus dicit „abi sis insciens,“ neque abire eum vult, sed acriter eum increpat. Eun. 799: „Cave sis,“ nostra lingua: nimm dich gefälligst in Acht. Si vis legitur Ad. 484: leno audi si vis nunciam.“ „Ubi vis“ exstat Eun. 1088 „Thraso, ubi vis accede.“

6) sodes. De hoc mihi probantur, quae Klotzius ad And. 85 diseruit, qui, postquam ex „si audes,“ contractum esse dixit, ita pergit: „Es könnte nur noch ein Zweifel darüber obwalten, ob man dieses si audes als dem Worte audere oder dem Worte audire, audes für audies, wie einige gedeutet haben, entnommen anzusehen habe. Die Deutung si audies wird jedoch immerhin als etwas gezwungen erscheinen, während si audes als das natürlichere anzusehen sein möchte. Man darf aber dann audere nicht in der später gewöhnlichen Bedeutung „wagen, sich erdreisten“ fassen, sondern in der ursprüng-

lichen von avere, avidum esse, wonach audere gleichsam avidere, Lust haben bedeutet." Est igitur haec quoque talis vox, qua vis Iussivi vel Imperativi humane lenitur, ut nostro gefälligst. Hoc autem non tam modeste dicitur, quam cum „quaeso" vel „sis" additur, atque hanc rationem dicendi apud Terentium praecipue in servos vel inferiores homines usurpari videmus. Ita servis dictum est: And. 85: „Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit"? Heaut. 580: „tace sodes" (halte gefälligst den Mund). Hec. 481: „vide, mi Parmeuo, etiam sodes"; ib. 844: „mane dum sodes." Ad parasitum in Phorm. 921 Demea dicit: „sed transi sodes ad forum atque illud mihi argentum rursum iube rescribi." Ad ignobilem quendam in Phorm. 103 dicitur: „duc nos sodes." Heaut. 459 meretrix arroganti sono dicens fingitur: „Asperum, pater, hoc est: aliud lenius sodes vide"; ib. 770 Syrus servus eri laudatione elatus eum monet: „Dic sodes" (sage es nur heraus.) Maiore cum modestia dictum est in Hecyr. 358: „I sodes intro, consequar iam te, mea mater," quamquam haec verba levi sono pronuntiantur, cum qui loquitur iam de omnibus rebus desperarit. Phorm. 793: „parce sodes" familiariter magis quam modeste monetur. Adelph. 643: „dic sodes pater." Confer Cic. Att. VII, 3, 1: iube sodes nummos curari. Catull. 103, 1; Aut sodes mihi redde decem sestertia. Hor. ep. I, 7, 15: vescere sodes.

7) modo. Usus huius vocis deducendus est ex primaria significatione, qua, idem valens quod nostrum nur, eam vim habet, ut aliquam rem cohibeat et ab aliis secludat. Cum autem aliquid fieri iubemus cetera omnia removentes et uni rei praecipuam vim tribuentes, iussum ipsum intendimus sive acriter urgentes sive impatienter requirentes aliquid. Exempla apud Terentium haec exstant: Heaut. 343: „Syre, dic modo verum"; ita cum Clitipho hoc dicit: nihil aliud fac, quam dic," id unum sibi cordi esse declarat eoque iussum acrius reddit. Simul impatientia quaedam inest et voluntas apparet, ut extempl

ille dicat; ib. 901 Menedemus Chremem quaerentem: quid est? acriter monet: „audi modo.“ Eun. 380: „vide ne nimium calidum hoc sit modo“; ib. 1073: „cogita modo,“ germanice: bedenke doch nur, quo omnibus ceteris rebus neglectis cogitando praecipua vis tribuitur. Phorm. 420: „sine modo.“ Cum indignatione dictum est his locis: Eun. 282: „age modo i“ ut Parmeno Gnathonis irrisionibus sollicitus vociferatur. Phorm. 496: „garri modo“ (schwatze du nur); Ad. 280: „tace modo et sequere hac.“ Heaut. 344: „Verum age modo,“ (mache du nur). Interdum autem, cum monemus „fac modo,“ hoc dicimus: ad eam rem, quae agitur, componendam nihil aliud opus est, quam facias, cetera iam per se sequentur; vox igitur „modo“ sedantem quandam vim habet, cum alterum in magna sollicitudine versantem quiescere et in unam tantum rem animum intendere iubeamus. Exempla huc pertinent haec: Phorm. 670: „quaeso, ego dabo, quiesco, tu modo filius fac ut illam ducat, nos quam volumus“, et Ad. 538: „fuge modo intro, ego iam videro.“ Eun. 724. „Id modo dic, abisse Dorum.“ Ad Imperativum uno loco adiectum est in Ad. 485: modo facito, ut illam serves“, ubi iussum, quod inest in facito, per „modo“ etiam intenditur simulque ad accelerandam rem monetur.

8) dum. Handius, Turs. II p. 328 ita de eo disputat: „indicat rem in ipsum illud, quod agitur, tempus incidere aut rem praesenti designatione determinari. — Graeci dicunt δὴ, quo tempus designatur praesens, ubi nos dicimus eben. Nam quod alii existimabant vehementiam addi hac particula, id non quadrat in omnia exempla. Germanice reddi non potest, nisi per nun.“ Mihi autem respiciendum videtur hoc „dum“ idem esse, quod in nondum, interdum exstat, cui radix subest dju (skr djus, dies), ut valeat: diem, den Tag lang, eine Weile; vulgo autem per „eben“ vertendum esse puto. Usurpatum est his locis: And 29: „Sosia, adesdum,“ germanice: bleibe eben vel einen Augenblick; ib. 326: „ehodum dic mihi,“ itemque

in Eun. 360. Heaut. 249: „abi dum Dromo, illis obviam." Phorm. 784: „age dum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis." Eun. 707: dic dum hoc rursum . . ." Hec. 803: „dic dum mihi quaeso"; ib. 844: „mane dum sodes." Ad Imperativum appositum est in Heaut. 550: „At heus tu facito dum eadem haec memineris."

9) quin. De hoc Reisigium audiamus, qui in libro suo „Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft" § 279 haec dicit: „Es findet sich auch eine Construction einer Fragepartikel mit dem Imperativ, was freilich nur in zwei Sätzen verstanden werden kann, der Imperativ für sich und die Fragepartikel für sich; das ist die Construction von quin mit dem Imp., wo quin zur Aufforderung dient; quin dic, sage es doch! denn quin heisst: warum nicht? sodass eigentlich darin liegt: quin vis dicere? So haben die Lateiner etwas Ähnliches mit dem griech. οἶσθ' ὡς ποίησον. quin mit dem Imp. bildet in der Regel einen Gegensatz gegen das Vorhergehende: warum nicht lieber, oder: sage vielmehr. Hic igitur duae structurae miscentur: quin hoc, dicis? et: dic hoc. Simul autem hoc notandum est, quod Reisigius recte dixit, tale enuntiatum semper contrarium rei antecedentis continere et idem valere, quod „immo" vel „potius", germanice: vielmehr vel: nein, sondern. Res ita cogitanda est, quasi dicatur: tu istuc facis, quin hoc facis? (sc. quod te facere melius est vel magis oportet.) Hoc autem idem esse apparet ac: „tu potius quam istuc facias, hoc fac", vel: „tu ne istuc fac, sed hoc." Ita And. 45 Sosia postquam dixit: „istaec commemoratio quasi exprobatio'st immemori benefici", pergit: quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis." Hoc ita interpretandum est: tu beneficia commemoras: quin uno verbo dicis? id est: tu potius quam beneficia commemores, uno verbo dic. And. 346 Pamphilum, qui exclamavit: Dave perii; is monet: Quin tu hoc audi", id est: ne ita clama, sed potius audi.

Ib. 449 Davum, qui iocans dixit: nil (sc. est), Simo iubet: „Quin dic quid est? Heaut. 890: „quin tu ausculta“ (potius quam ita roges), Phorm. 223: „aufer mihi „oportet“, quin tu, quid faciam impera“; ib. 350: „quin tu hoc age“; ib. 486: „quin omitte me“, (potiusquam ita me molestes); ib. 857: quin tu hic pollicitationes aufer et quod fers cedo“; ib. 883: quin ergo rape me; quid cessas?“ Ad. 543: „quin tu animo bono es“ (potiusqnam dicas: perii). Cum Imparativo semel coniunctum est in Eun. 902, ubi Chaerea ad Pythiae verba: „non credo, Chaerea, nisi commissum non erit“ respondet: „Quin Pythias, tu me servato“, id est: ne ita dic sed potius me servato.

IV. Des tructuris „fac et facito“ cum Coniunctivo.

Hae ubi usurpantur, iussum aut admonitio quam gravissime animo alterius imprimitur, ut nostra lingua dicitur: thue das ja. Exempla haec exstant: Heaut. 28: „facite aequi sitis, date crescendi copiam.„ Eun. 320: „Nunc hanc tu mihi vel vi vel clam vel precario fac tradas“, ubi iam ex cumulatione verborum vehementer dici apparet; ib. 501: „diligenter Pythias, fac cures“; ib. 506: domi adsitis facite“; ib. 769 „fac animo haec praesenti dicas.“ Ad. 511: bono animo fac sis, Sostrata, et istam, quod potes, fac consolere“; ib. 814: „fac quam plurimum illis relinquas.“ Sequente ut positum est And. 712: „huc fac ad me ut venias, si quid poteris.“ Eun. 855: domi—focique fac ut memineris. „Facito“ his locis legitur: Ad 500: „Sed Demea, hoc tu facito cum animo cogites“; ib. 808: „quaeso, hoc facito tecum cogites“; ib. 845: „modo facito ut illam serves.“ Heaut 550: „At heus tu facito dum eadem haec memineris, si quid poteris.“

V. De Coniunctivo iussivo vel adhortativo.

Lochius l. l. p. 19 ita de eo diseruit: Vielfach findet sich noch die Ansicht verbreitet, dass der Conj. höflicher und bescheidener gebiete, als der Imp.; ja nach Niebuhr zu Cic. fragm. oratt. p. 77 soll sich Cicero nur selten erlaubt haben, das Volk mit einem Imp. anzureden, aus Respect vor der Majestät desselben. Andrerseits bemerkt Lorenz zu Most. 1115: cenes für cena, indem der Ausdruck eines freundlichen Wunsches stärker sei, als die Aufforderung. Dagegen hat sich mit Recht ausgesprochen Zumpt § 529 A. Und welcher Unterschied sollte beispielsweise sein zwischen den abwechselnd gebrauchten Conjunktivformen taceas, abeas, salvos sis, und dem Imp. tace, salve etc. Haec haud recte disputata esse existimo. Nam profecto aliquantum interest inter Coniunctivi et Iussivi usum. Atque primum quod ille interesse negat inter tace et taceas, certe interest, nam etsi res ipsa eadem est, tamen varie enuntiatur. Mea quidem sententia „tace“ acriter, „taceto“ graviter, „taceas“ humane profertur. Quod autem ad „valeas“ et „salvos sis“ pertinet, ei sunt Coniunctivi non iussivi, verum optativi, et huc omnino non attinent. Nam si eos exempli gratia cum taceas conferimus, hoc interest, quod taceas actionem, quam alter efficiat, continet, in „valeas“ et „salvus sis“ actio non inest, cum valere et salvum esse ne in potestate quidem alterius sit, sed a deis pendeat; ergo ille non facere aliquid iubetur, sed ei aliquid optatur. Non recte autem Draegerus in libro suo „Hist. Synt. d. lat. Sprache I p. 286 Coniunctivum iussivum optativo adnumerat. Nam optativo ea enuntiantur, quae non alteri imperantur, sed quae ut dei vel fatum ei praebeant, optatur (cf. valeas, salvus sis), iussivus vero ea continet, quae ipse ille efficere iubetur; ergo ambo Coniunctivi aucte inter se distinguendi sunt. Res autem ita esse mihi videtur: Hic Coniunctivus deducendus est ex Coniunctivo potentiali;

proprie igitur non iubetur eo aliquid, sed potestatem alteri esse dicitur aliquid faciendi; cum autem hoc fit, simul adhortatio subest, ut faciat. Si exempli gratia dicitur: „hoc facias," id proprie valet: „tibi copia faciendi est," eo autem in occulto monetur: fac; sicut nos, cum dicimus: du könntest das thun, hortamur, ut etiam fiat. Talem admonitionem summa cum modestia pronuntiari apparet, quasi quis prorsus eum, quocum loquitur, commonefacere non audeat, sed, cum potestatem faciendi esse dicat, voluntati eius permittat, num faciat. Itaque in hoc Coniunctivo saepe vis suadenti inest, ubi in voluntate alterius ponitur, num ea facere velit, quae monetur. Quamobrem tum praecipue in altera persona usurpatur, cum ad omnia tempora consilium aliquod editur, ubi nos dicimus: man muss, ut in Marc. ap. Egger. p. 112: postremus l o q u a r i s, primus taceas. vel in Cato r. r. 3: ita a e d i f i c e s. Cic. Tusc. V, 41: iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo r e l i n q u a s. Confer haec exempla, ubi de tertia persona agitur: Cato r. r. 5, 1: disciplina bene u t a t u r, feriae serventur, alieno manum abstineat. sua servet diligenter, litibus familiae supersedeat, si quis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. Cic. Sest. 66, 138: si qui voluptatibus ducuntur, missos f a c i a n t honores, ne attingant rem publicam. patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui, Hac autem natura quamquam a legibus atque edictis per se abhorret, tamen ibi quoque interdum usurpari videmus: Rhet. ad Her. I, 13: qui parentem necasse iudicatus erit, is obvolutus et obligatus corio d e v e h a t u r in profluentem. Cic. Verr. I; 56: qui redemerit, s a t i s d e t damni infecti ei, qui a vetere redemptore acceperit. Talia autem enuntiata magis bene monentis more, quam cum gravitate, quae alias legum propria est, dicta sunt. Igitur aliquis magis in cogitatione versatur eius rei, quam fieri aut vult aut optimum ducit faciendae per condicionem facultatem datam esse, minus autem id intendit, nt quae monet, ab altero etiam effici-

antur, simulque tempus actionis non urgetur, ita ut aorista quaedam significatio insit. Iussivo autem et Imperativo prorsus iussum aliquod aut admonitio enuntiatur et simul intentio inest, ut, quae iubentur, ab altero vel praesenti vel eo tempore, quod additamentis accuratius definitur, etiam conficiantur. Idem in graeca lingua usus structurae ἄν c. Opt. est, qua, proprie potentialem vim habente, saepe iussum aut adhortatio modeste enuntiatur: Plat. p. 126 A, et Phaedr. 227, C: λέγοις ἄν. Phaedr 229, B: προάγοις ἄν. Soph. El. 1491: χωροῖς ἄν. Plat. Phileb. 23 C. Pol. 267 D. 268 E. 283 D. 269 C. Tim. 19, B. Dem. coron. 160. Hom. Il. I, 132. Soph. Phil. 666. Trach. 615. Eur. Alc. 713. Aristoph. Nub. 725.

Ut autem in nostra lingua, cum dicimus: du darfst stillschweigen, saepe strenue postulatur, ut quis sileat, ita in latina quoque interdum modesta forma acris postulatio pronuntiatur; ut, cum quis dicit: „taceas“ vel „abeas“ interdum tacere vel abire alterum severe iubet. Sed ut ad Terentium revertar, cum omnes locos, ubi hic Coniunctivus usitatus est, tractare longum sit, eos modo afferam, ubi de altera persona agitur. Sunt hi: And. 598: „quiescas,“ quo proprie dicitur: quiescere tibi licet, du kannst ruhig sein, cum hoc suplendum sit: ergo quiesce. Igitur ibi non tam palam admonitio pronuntiatur, quam in Phorm. 670; „ego dabo, quiesce“ vel ib. 713: „quietus esto,“ atque exhortatio magis a rerum condicione, quam ab ipso loquente proficisci videtur. Heaut. 177: „proin tu sollicitudinem istam falsam, quae te excruciat, mittas,“ proprie: „rerum condicio ea est, ut mittere tibi liceat,“ pergendum autem est: „ergo quiesce,“ quod, qui loquitur non addit, sed alterum de eo statuere sinit; ib. 345: „datur, fruare, dum licet,“ magis familiariter suadetur, quam iubetur. Eiusdem rationis est Eun. 370 sqq.: „Capias illius vestem — tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo: cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias.“ Phorm. 69: „desinas,

sic est ingenium"; ib. 540: „Quid faciam? — Invenias argentum (du könntest Geld zu schaffen suchen); ib. 786: „Pariter nunc opera me adiuves, ac re dudum opitulata es"; hoc cum proprie dicitur: potestas tibi est me adiuvandi, si velis (quippe cum ego in tali rerum condicione verser), simul rogatio inest, ut adiuvet, eam autem rogationem palam proferre, qui loquitur, quasi prae modestia non audet, sed alterum conclusionem secum facere vult se id rogare. Hec. 391: „ceterum de redducenda id facias, quod in rem sit tuam." Hecyr, 700: „Puerum accipias, nam is quidem in culpa non est;" ib. 638: „accipias puerum"; ib. 810: „tua quod nil refert, percontari desinas," germanice: kannst du aufhören, quo modeste monetur: desine. Heaut. 619: „videas, quid velit;" „quaeso" huic Coniunctivo additum est in And. 305: „quaeso edepol Charine, quoniam non potest id fieri, quod vis, id velis, quod possit. Cum „obsecro" coniunctus est Heaut. 1049: „Pater obsecro mihi ignoscas."

Eandem, quam exposui, rationem apud Plautum exstare exemplis a Lochio p. 19. 20 allatis facile apparet. Cfr. Liv. XXII, 53: „Si sciens fallo, tum me, Jupiter opt. max., domum familiam remque meam pessimo leto adficias." Cic. ad Att. IV; 18: „Quo die ad me venies, si me amas, apud me cum tuis maneas."

VI. De enuntiatis interrogativis Iussivi et Imperativi loco positis.

Si exempla ad hanc rem aqud Terentium exstantia inquirimus, in omnibus acriter et cum indignatione iuberi intellegimus. Tempus autem eorum et praesens et futurum est, sicut in nostra lingua eadem ratione dicitur et: schweigst du? et: willst du schweigen? Atque rariores ei loci sunt, ubi nulla particula interrogativa adiecta est: And. 751: „dictura es, quod rogo?" Eun. 536:

„malam rem hinc ibis?“ Plerumque autem particulae additae sunt, quae sunt hae:

1) non. And. 743: „non mihi respondes?“ Heaut. 919: „non tu te cohibes, non te respicis? non tibi ego exempli satis sum?“ Eun. 789: „non tu hinc abis?“ ib. 919: „non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?“ Phorm. 987 et 1003: „non taces“? ib. 849: „non manes?“ ib. 992: „non mihi respondes?“ Ael. 781: „non manum abstines mastigia?“ ib. 942: „non omittitis?“ ib. 727: „non clamas? non insanis?“ Phorm. 1002: „mi vir, non mihi dices?“ In omnibus his exemplis non solum cum indignatione sed etiam cum admiratione quadam quaeritur, nonne alter aliquid faciat vel facturus sit, quasi is qui loquitur intellegere non possit, cur ille non faciat, ita ut perspicue subaudiatur eum magnopere velle id fieri. Uno loco vis huius rationis imperandi lenita est voce „obsecro“ addita: Hec. 603: „obsecro, mi Pamphile, non tute incommodam rem in animum induces pati.“? Item in graeca lingua *οὐ* cum Indicativo futuri in enuntiatis interrogativis Imperativi loco adhibetur, vide Plat. Symp. p. 173 init: *οὐ περιμενεῖς*; ib. p. 175 A: *οὔκ ουν καλεῖς αὐτὸν καὶ μὴ ἀφήσεις*; confer Kühner. Gr. Gr. II § 387, 6 et Stallbaum ad Pl. Symp. pag. 172.

2) ne. Quae ubi usurpatur, sola indignatio inest, non etiam admiratio illa, quam in non inesse vidimus. Exempla haec sunt: And. 186: „hocine agis an non?“ ib. 317: „abin' in malam rem?“ ib. 337: „fugin' hinc?“ Eun. 651: „in' hinc, quo dignus es cum donis tuis tam lepidis?“ ib. 861: „abin' hinc insana?“ Heaut. 813: ibin' hinc, quo dignus es.“? His cum postuletur, ut aliquid fiat, duobus locis hac structura aliquid fieri vetatur: Eun. 817: „pergin', scelesta mecum perplexe loqui?“ Phorm. 372: „pergin' ero absenti male loqui, impurissime?“ ib. 996: „pergin' credere?“ ubi pergin'? idem valet, ac si cum indignatione iubeatur: desine.

3) quin. Hoc legitur tribus locis: And. 399: „quin taces“? Heaut. 832: „quin accipis“? Phorm. 429: „quin, quod est ferundum, fers“? Hoc quoque strenue iussum aut admonitio enuntiatur, ut nos dicimus: Warum nimmst du es nicht? id est: nimm es doch. Similiter igitur usurpatur ac: non.

4) etiam tribus locis in hac structura invenitur: Heaut. 235: „etiam caves? Phorm. 542: „etiam tu hinc abis“ “ Ad. 550: „etiam taces“? Congruunt cum his, quae Handius Tursel. II p. 574 diserit: Interrogatione cum praesumitur id quod vel fieri iubemus, vel quod ut fiat in votis habemus, ponitur „etiam“ quo certior reddatur res. Germani dicunt vel doch vel auch. etiam caves: Du hütest dich doch? sive: hütest du dich auch?

VII. De Indicativo Futuri pro Imperativo adhibito

duplici ratione a Terentio usurpatur. Unus est is usus, ubi iussum aliquod imperatoria vi enuntiatur; ita qui loquitur, adeo confidit alterum iussa effecturum esse, ut ea futura esse contendat. Exempla sunt: Heaut. 833: „tu hic nos opperibere.“ Hec. 590: „haud facies, neque sinam . . . “ And. 205: „ne temere facias, neque tu haud dices tibi non praedictum.“ cfr. Cic. ad Att. XV, 15, 4: curabis igitur et, si quid tibi de eo videbitur, scribes. ad Fam. XIV, 8: si quid novi acciderit, facies, ut sciam. — Alia est ratio, cum „si sapis“ vel „si sapies“ tali enuntiato adicitur; ita enim modeste monetur, ut aliquid fiat; nam proprie dicitnr: „tu hoc facies, si sapis,“ in eo autem exhortatio inest: ergo fac, si sapiens esse vis. Eiusmodi apud Terentium unum exemplum exstat: Heaut. 870: „sed haec uti sunt, cautim et paulatim dabis, si sapies.“ Duobus locis praesens in hac structura invenitur: Eun. 721: „tu pol, si sapis,

quod scis, nescis." Heaut. 748: „tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies," quo in posteriore exemplo futurum „sapies" comprobat praesens „nescis" futuri loco positum esse. Continetur autem in eis admonitio: ergo nescito, quod est: nescire te fingito. Plura exempla apud Plautum leguntur: Aul. 401: tu istum gallum, si sapis, Glabriorem reddes mihi quam volsus ludiust. Men. 121: malo cavebis, si sapis. Merc. 584: atqui hercle invenies tu locum illi, si sapis. Most. 515: non me appellabis, si sapis. Asin. 372: tu cavebis, ne me attingas, si sapis. Confer cum his Heaut. 379: abeas, si sapias. Hec. 493: si sanus sies, iube illam redire. Idem est usu Futuri apud Graecos, vide Plat. Prot. p. 338 A: *ὣς οὖν ποιήσετε καὶ πείθεσθέ μοι*, Xen. Hist. gr. II, 3, 34: *ὑμεῖς οὖν, ἐὰν σωφρονῆτε, οὐ τούτου, ἀλλ᾽ ὑμῶν φείσεσθε*; plura vide apud Kuehnerum, Gr. gr. II, § 387, 5.

Nunc dicendum est de negativis enuntiatis, atque primum quidem de

VIII. ne cum Iussivo.

Haec structura ubi apud Terentium usurpatur, strenue et plerumque cum indignatione imperatur, ne aliquid fiat; atque ipsa brevis forma acri sono pronuntiata aliquid duri habet. Simul hoc notandum est eam structuram apud Terentium rarius adhiberi, quam „ne cum Coniunctivo", de qua constructione postea dicam. Exempla haec sunt: And. 543: „Ah, ne me obsecra, quasi hoc te orando a me impetrare oporteat." Ita Chremes Simonis precibus, ut filio eius suam filiam desponderet, indignatus eam rem mittere eum iubet. Heaut. 564: „Hisce oculis (vidi), ne nega." Hoc Chremes filium suum, qui ad interrogationem: „vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere"? respondens: mene? illud negavit, ut rem con-

fiteatur, acriter monet, ut nos dicimus: leugne nur nicht. Idem eadem ratione exstat in And. 384 et Phorm. 803. Heaut. 975 Chremes Syro servo, qui rei, quae inter patrem et filium erat, se admiscere studebat, severe imperat: „Ilicet, ne te admisce.“ Phorm. 664 Chremes Demeae vociferatione: „oiei, nimium,“ (sc. argenti est) offensus eum strenue hortatur: „ne clama, repetito hasce a me decem,“ ubi etiam, quod „repetito,“ non „repete“ positum est, cum gravitate dici demonstrat. Ad. 802: „quando ego tuum non curo, ne cura meum“ cum indignatione et acriter dictum est, quod etiam ex interrogationibus antecedentibus: quor apud te potat? cur recipis meum? quor emis amicam? apparet. Ad. 279: „reddetur, ne time“; haec Syrus ad Sannionen lenonem dicit, qui ei moleste instare non desistit, neque tam hortari illum vult, ut ne timeat, quam potius insolentia eius indignabundus acriter in eum invehitur, ut nos dicimus: du wirst es schon erhalten, habe nur keine Angst. Heaut. 84: „ne lacruma atque istuc, quidquid est, fac ut sciam, ne refice, ne verere, crede in quam mihi,“ quamquam minus vehementer dicta sunt, quam in superioribus exemplis, tamen „ne lacruma“ vituperantis more enuntiatur, simulque strenue haec verba fiunt, ut alter ad fortitudinem erigatur. Heaut. 89: „ne labora.“ Ubi autem familiariter hac structura monetur, „obsecro“ vel „quaeso“ additum esse videmus: Eun. 95: „ne crucia te obsecro, anime mi, mi Phaedria.“ Heaut. 1052: „age quaeso, ne tam offirma te. Ut apud Terentium ita apud Plautum quoque huius structurae usus rarior et ratio eadem est, quam modo exposui; vide: Amph. 674: ne time, ib. 1110: ne pave, ib. 803: ne interpella. Asin. 377: „ne nega“; cetera, quae Loch. p. 21 attulit.

IX. ne cum Coniunctivo.

De hoc Lochius p. 19 ita diserit: Dasselbe (sc. quod de positivo) gilt auch vom negativen Conjunctiv, der ja

fast ausschliesslich als Prohibitivus den negativem Imp. in der gewöhnlichen Prosa vertritt. Wenn daher Brix Capt. 328 die Bemerkung Dombarts aufgenommen hat, dass ne cum Coni. schwächer sei, als ne cum Imp.: nummum ne dius du brauchst keinen Heller zu geben — so kann darauf nur erwidert werden, dass auch zahlreiche negirte Imp. ebenso übersetzt werden müssen, also neben ne doceas das schon von Dombart citirte ne doce, dann das häufige ne time, wofür ne timeas bei Plaut. und Ter. nicht vorkommt. Haec mihi parum acute disputata esse videntur, et profecto interesse inter has structuras exemplis et apud Terentium et apud Plautum exstantibus diligenter comparatis satis intellexi. Nam cum per „ne cum Iussivo," ut ex eis, quae supra diserui, satis apparere puto, vehementer dicatur, per „ne cum Coniunctivo" modeste admonitio aliqua enuntiatur. Quod autem Lochius ambas structuras saepe eodem modo in nostram linguam transferri contendit, id moneo, nonnunquam in nostra lingua iisdem verbis eandem rem varie significari, et hoc interesse, quo sono vocis et quo affectu animi aliquis loquatur. Deinde quod ille „ne timeas" neque apud Plautum neque apud Terentium exstare affirmat, in Eun. 785 haec leguntur: „sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo est, ne metuas," quod certe idem valet, ac: ne timeas. Hoc autem inter „ne time" et „ne metuas" interesse dico, quod illud acriter et saepe cum indignatione, ut supra vidimus, pronuntiatur, hoc familiariter et vere adhortantis more. Denique, cum usurpatur „ne cum Coniunctivo" persona loquentis magis recedit, quasi non ipse moneat, sed rerum condicio postulet. Igitur hic quoque Coniunctivus ex potentiali deducendus est, et exempli gratia „ne metuas" proprie valet: rerum condicio ea est, ut tibi metuendi potestas sive causa non detur, vel: non est, quod metuas. Atque primo non „ne metuas" sed „non metuas" dictum esse existimo; nam exstant adhuc ex omnibus temporibus exempla, ubi „non"

huic Coniunctivo additum est. Ex ipso Terentio haec affero: And. 787: „non te credas Davom ludere," Hec. 342: „non visas; ne mittas quidem visendi causa quemquam," quae scriptura mihi magis placet, quam haec, quae in plerisque libris legitur: non visas? ne mittas quidem . . . . Nam certe simplicius et aptius servus interroganti: non visam uxorem Pamphili? respondet non visas; ne mittas quidem —, quam si magnifice quaerens: non visas? pergeret: ne mittas quidem; tantae enim gradationis causam hoc loco non video. Confer porro: Cic. p. Cluent. 57, 153: interea quidem per deos immortales . . . a legibus non recedamus. Plin. Ep. III, 19, 9: proinde hoc te non moveat, si cetera non refragantur. Virg. Aen. 12, 78: non Teucros agat in Rutulos. Georg. I, 456: non illa quisquam me nocte — moneat. Pers. I, 5: non, si quid turbida Roma elevet, accedas; alia exempla vide apud Draegerum l. l. I p. 286 sq.

Simul autem cum dicitur: non est quod metuas, adhortatio subest: ne metue; atque ita multo modestius admoneri, quam si Iussivus positus sit, facile apparet, et Romani cum „ne cum Iussivo" eis durius videretur, hac rationi hortandi vel iubendi potissimum utebantur. Crebri autem usu origo eius structurae ex mente excidit, et cum plane pro Iussivo eam haberent, particulam „ne" pro „non" addiderunt. Conferas cum hoc nostrum: du brauchst dich nicht zu fürchten, quod valet: fürchte dich nicht. Exempla apud Terentium haec exstant: And. 980: „ne exspectetis, dum exeant, intus despondebitur," id est: non est, quod exspectetis — ergo ne exspectate. Heaut. 745: „ne quaeras." Eun. 77: „neque (pro neve) praeter quam quas . . . . habet, addas, et illas, quas habet, recte feras." Eun. 212: „ne istuc tam iniquo patiare animo." Hic si dictum esset: „ne patere," intentio inesset, ut alter etiam pati desistat, cum autem dicitur: „ne patiare," id est: non est quod patiaris,

quodam modo voluntati eius permittitur, num admonenti obsequi velit, eoque exhortatio modestius pronuntiatur. Eun. 273: „ne sis" (tristis) Gnatho simulata familiaritate Parmenonem per ludibrium monet, germanice: sei es doch nicht; ib. 988: „Ere, ne me spectes, me impulsore haec non facit." Hoc loco si dictum esset: ne me specta, immodeste servus ad dominum loqueretur, illa autem utitur ratione, quasi prorsus eum monere non audeat. Phorm. 419: „Actum aiunt, ne agas," quod proverbium esse perspicuum est; proprie significat; non est, quod actum iterum agas (Gethanes brauchst du nicht mehr zu thun). Phorm. 508: „heia, ne parum leno sis." Ad. 942: „ne gravere." „obsecro" additum est Heaut. 1049: „mi vir, te obsecro, ne facias." Perfectum Coniunctivi usurpatum est: Phorm. 742: „ne me istoc nomine appellassis." And. 392: „nec tu ea causa minueris haec quae facis, ne is mutet suam sententiam." Phorm. 514: „si non dedero, unam praeterea horam ne oppertus sis." Hec. 79: „si non quaeret, nullus dixeris." Tribus locis hac modesta forma graviter monetur ita, ut minandi aliquid insit. Haec eadem ratio est, qua nos dicimus exempli gratia ich rate dir, mich nicht anzurühren, quod valet rühre mich ja nicht an. Dico And. 789: „ne me attingas, sceleste"; ib. 205: „sed dico tibi: ne temere facias." Eun. 806: „Miles, nunc adeo edico tibi, ne vim facias ullam in illam." His posterioribus locis si quis dicat: „ne facias" ab „dico tibi" pendere, valde errat, nam talis structura a Terentii usu abhorret, qui post verba dicendi absoluta semper ratione utitur, confer And. 45: quin tu uno verbo dic, quid est, quod velis; ib. 85: dic sodes, quis heri Chrysidem habuit?; ib. 324: eho dum dic mihi: num quid nam amplius tibi cum illa fuit; ib. 449: quin dic, quid est?; ib. 849: etiam tu hoc responde: quid istic tibi negoti'st.

obsecro, huic structurae additum est: Heaut. 291: „Syre mi, obsecro, ne me in laetitiam frustra conicias";

ib. 1028: „obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum." Phorm. 945: „obsecro, ne facias." Adicitur autem haec vox, quo adhortatio vehementior fiat. De Plautinis locis vide Loch. p. 21. cfr. Cic. ad Att. XIII, 23, 2: ne existimes, eos . . . remissuros esse. p. Cluent. II, 6: si denique veritas . . . extorquebit, ne repugnetis, eamque animis vestris remittatis.

X. De circumlocutione negativi Imperativi.

1) noli. Hoc apud Terentium ita potissimum usitatur, ut admonitionem familiariter datam contineat et „ne cum Coni." proximum sit. Estat: And. 685: modo tu, anime mi, noli te macerare. Phorm. 556: noli metuere, una tecum bona mala tolerabimus. Hec. 109: ah noli, Parmeno. (ita dicere.); ib. 316: noli fabularier; ib. 467: noli fodere; ib. 654: redduce uxorem ac noli adversari mihi. And. 385: suadere noli.

2) cave c. Coni. Hoc modo adhortatio strenue enuntiatur. Exempla sunt: And. 760: mane, cave quopiam es istoc excessis loco. Ad. 170: Cave nunciam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos. Deinde minus acerbe: Heaut. 187: cave faxis, non opus est pater; ib. 302: perge obsecro et cave, ne falsam gratiam studeas inire; ib. 826: Cave quidquam admiratus sis. Phorm. 993: cave isti quidquam creduas. Ad. 458: cave dixeris. Heaut. 1031: cave posthac . . unquam verbum ex te audiam.

3) vide ne c. Coni. exstat his locis: Heaut. 212: tu ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius; ib. 369: sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas. Phorm. 803: au obsecro, vide, ne in cognatum pecces. Hec. 484: verum vide ne impulsus ira prave insistas; ib. 841: vide, mi Parmeno, ne me in breve tempus conlicias gaudio hoc frui.

XI. De ellipsi Imperativi.

Huius rei causam quaerendam puto in studio breviloquentiae, quod apud Terentium tum potissimum animadvertimus, ubi quis cum ardore et impetu loquitur, confer And. 285: „accessi, vos semotae, nos soli"; ib. 360: „ego me continuo ad Chremem, quom illo advenio, solitudo ante ostium." Eun. 65: „egone illam, quae illum, quae me quae non!" In tali autem ellipsi Imperativi strenuum iussum continetur, et aliquid imperatorium inest, sicut Eun. 774 sqq. Thraso miles, cum imperatoris more suos ad pugnam collocat, hoc modo iubet: „In medium huc agmen cum vecti, Donax; tu, Simalio, in sinistrum cornum, tu Syrisce in dextrum." Interiectionem „eho" ellipsis sequitur in And. 183: „eho dum ad me"; ib. 951: „eho mecum Crito." Lenius dictum est: Heaut. 502: „ita quaeso" (fac), And. 204: „bona verba quaeso"; ib. 309 „age, age, ut lubet" (fac.) Phorm. 440: „si quid opus fuerit, heus tu me." Ad. 539: „si quid rogabit nusquam tu me." Eun. 440: „ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilum continuo; si quando illa dicet: Phaedriam intro mittamus commissatum: Pamphilum cantatum provocemus; si laudabit haec illius formam, tu huius contra."

Auctor huius disputationis natus est ante diem VIII Cal. Nov. 1862 in pago Frohnhausen Nassoviae, ibique elementis litterarum imbutus. Anno suo decimo tertio in gymnasium Dillenburgense receptus est unde septem annis post testimonium maturitatis adeptus abiit philologiae operam daturus. Primum in numerum civium academiae Marburgensis adscriptus est ibique per tria semestria linguis latinae, graecae, germanae et historiae antiquitatis se dedit. Deinde in academiam Bonnensem transiit, unde unum semestre versatus Marburgum rediit, ibique duo semestria moratus triennium philologicum absolvit. Septimo semestri hac dissertatione ab amplissimo ordine philosophorum probata examen rigorosum superavit.

E. Weidenbach, Dillenburg.

